



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-1759214558-11

DFG







1724.

1<sup>a</sup>. b

= Alberti, Michael : *De termino animationis foetus humerus*. 2 Scenpl.

2. Alberti, Michael : *De singulari Mercurii salis et  
in corporatis quibusdam morbis.*

3. Alberti, Michael : *Nocturnal sectiones in pede granitaram  
usq; hilo et solubr.*

4. Alberti, Michael : *De variis agrotorac.*

5. Alberti, Michael : *De conscientia medica.*

6. Alberti, Michael : *De lactatorum statu legib[us]  
et morbo.*

7. Alberti, Michael : *De febre pectorialis.*

8<sup>a</sup>. b Bochmerus, Justus Henningus : *De variis sacra legi specimen  
ex merke jarii circuli*. 2 Scenpl. 1724 & 1735.

9<sup>a</sup>. b Bochmerus, Justus Henningus : *De privatione talis etone-  
cerioris stataliterie ex capite wolfserii 2 Scenpl.  
1724 & 1737.*

9<sup>c</sup> Bochartus, Georg Christianus : *De Grylio lucari ejusque  
pro et Yucorum emendanda certaminibus.*

10. Coschritz, Georgus, Daniel : De diuretos provocacione  
utri et uoxia
11. Coschritz, Georgus Daniel : De plenitudo versus et  
~~per~~ peripneumoniae diffarentia.
- 12<sup>a</sup>.<sup>b</sup> = Fleischer, Joannes Laurentius : De juri bus et jure civi com-  
petente legatorum. 3 exempl. 1728-1745
- 13<sup>a</sup>.<sup>b</sup> = Gasser, Lino Petrus : De iniabilitate positionum  
cum iuramento dicatorum et respondidorum.
- 13<sup>b</sup> = Gasser, Lino Petrus : De iniabilitate positionum  
cum iuramento dicatorum et respondidorum.
14. Gorille, Petrus : De studiis noctatis in anatomia  
et physiologia
15. Grubben, Dr. Daniel : Vindiciae stirpiae pro auera-  
velleris ordine.





bube

27

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**POLYPO CORDIS,**

QVAM  
AUSPICE DEO PROPITIO  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicae,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Ä S I D E  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

POTENTISSIMI REGIS BORUSSÆ CONSILIARIO AULICO,  
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS  
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXIV. D. MART.

PUBLICAE AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,

**JOANNES GOTTLIEB BAUER,**  
SVIDNICENSIS SILESIUS.







## PROOEMIUM.



*Eum & Naturam nihil fru-  
stra facere, communi circumfer-  
tur dictorio & verissimo quidem,  
quoad perfectissimum, justissi-  
mum & sapientissimum illud sub-  
iectum sive ens, quod Scholastici  
referente Baribio ad Claudianum*

Naturam naturantem appellarunt: dubio vero adhuc,  
quod naturæ notionem concernit: Aristoteles quidem,  
animosus ille Naturæ admirator & scrutator lib. 4. de  
partib. animal. c. XI. & lib. 2. de gener. animal. c. 4. confiden-  
ter profitetur, quod Natura nihil supervacaneum, nihil  
frustra operetur, cum quo Galenus de usū Partium lib. I.  
c. 23. consentit, quando dicit: *frustra natura nihil ope-  
ratur, quando sollicita est: atque ut ne deficiat aliquid, atque ut  
superfluum nihil creat: superfluum enim iis, que per se satis  
agunt, est impedimento, tanquam onus alienum adjacens, at-  
que ea ratione noxiū: nam quando inter Deum & Na-  
turam nulla differentia agnoscitur, secundum Senecam*

A

lib.

lib. 4. de benef. c. 7. Plinium lib. 27. c. 3. Lipsium Physiol. lib.  
 1. diff. 5. Lactantium lib. 2. c. 9. tunc & hæc adserita vera  
 sunt & in æquipollente enunciatione consistunt, quod  
 Deus, quatenus natura vocatur & in naturalibus ope-  
 ratur, nihil frustra agat: quando vero inter Deum &  
 Naturam æquum omnino discrimen admittitur, tunc  
 quidem Deus nunquam aliquid frustra, Natura vicis-  
 sim sæpe multa frustra agit: Etenim si Cicero lib. 5. Tus-  
 cul. quaest. c. 33. edisserit, quod parvo cultu natura contenta  
 sit: tunc liberum erit percontari, cui usui ingens cor-  
 poris moles sit? quid utilitatis afferat nimia obesitas?  
 quem usum habeant diversa corporis organa præter  
 necessitatem aucta & multiplicata? quo inserviat nimia  
 humorum plenitudo & ubertas? quid emolumenti  
 promittant diversæ concretiones? quid efficiant nævi  
 materni? cui bono tot anomaliae & ataxiae in motibus  
 vitalibus? Sed si aliud dipterium Cod. lib. 6. tit. 27. de testa-  
 ment. l. 17. conf. not. Gothofredi lit. t. quod superflua non no-  
 ceant conciliamns, tunc forte naturam illam subordina-  
 tam ab imputatis erroribus facile imminem declarare  
 possemus; ast cum ipsum hoc posterius effatum sæpe  
 veritati admodum contrarietur, ita tamdiu eadem na-  
 tura in nexus erroris permanet, donec probetur contra-  
 rium: si enim juxta Galenum superflua impedimento sunt,  
 quidni illa, quæ tota sua indole inutilia existunt, fru-  
 stranea & sæpe perniciosa fuerint? Quod enim natu-  
 ræ humanæ errores attinet, tunc illi rarius rari sunt,  
 quin eosdem indies observare occasio contingat, quos  
 medicos præcipue nature errores solide explicavit Illuſtr.  
 Stablius in peculiari disputatione; & hæc veritas, quod na-  
 tura

tura hominis in negotiis vitam & sanitatem concernen-  
tibus toties aberret, vix in dubium vocari potest, quin  
huc etiam JCtorum conon valeat, quod *veritas sapientia*  
*examinata, magis eluceat: recte enim Lucianus in dial.*  
*de non facile credend. column. t. 1. dicit: in rebus humanis*  
*nihil tam faustus feliciterque agitur, quod non error aliquis in-*  
*terpolet: tantam enim in sua viscera habet potentiam*  
*natura, ut ab ipso primo formationis limine multa ir-*  
*rita, supervacanea & inutilia producere valeat, pro-*  
*ptraeque dipterum JCtorum l. 13. ff. liber homo lib. 9. tit.*  
*2. ad L. aquil. quod nemo suorum membrorum Dominus esse*  
*videatur medicis usibus non respondeat, dum omnino*  
*natura hominis suorum membrorum in suo foro domini-*  
*na esse deprehendatur, quæ nunc illis aliquid demere,*  
*nunc aliquid addere potest, vel materialem illorum fa-*  
*bricam augendo, vel illam minuendo, vel motus in il-*  
*lis excessive exercendo, vel negligenter & defective*  
*administrando, vel ipsum ordinem congruum violan-*  
*do & erroneo modo observando: Si itaque juxta Hip-*  
*pocratem Medicina additio illorum est, quæ deficiunt,*  
*& sublatio eorum, quæ excedunt & secundum Galenum*  
*Medicus Minister est Natura lib. de optimo dicendi genere c. 14.*  
*& lib. num. ars tuenda sanitatis ad medicinam spectet, an gym-*  
*nasiam c. 26. ita etiam Medico incumbit observare, ubi*  
*supervacanea & superflua adsunt, quo illis congruam*  
*medelam offerre queat: inter alia vero Naturæ hu-*  
*manæ opera superflua, merito etiam inutiles concre-*  
*tiones tam in pharmaceuticis, quam chirurgicis provi-*  
*de indagare & dextre tractare debemus, quarum quæ-*  
*dam non modo frustraneæ & absolute inutiles, sed &*

nonnullæ subinde etiam periculosæ, imo plane perniciosa, aut exitiosæ existunt, quibus vel præoccupandis, vel quantum fieri potest auferendis prudens & peritus Medicus omnem operam impendere debet: quam alienum vero est ab integritate corporis humani talia superflua & deformia gestare & enutrire concrementa, tam ominosum & exitiosum plane est, eadem in nobilibus & principalibus internis organis & visceribus fore & tolerare. E numero frustraneorum concrementorum, quæ in corpore humano vivo occurrunt, merito recenseri debent Polypi, qui non modo nihil utilitatis afferunt, sed qui etiam mortem causantur aut accelerant: & licet antiquorum medicorum scripta, qui prima Medicinæ initia promovere laborarunt, hujus frustranei concreti mentionem haud multam faciant, quod non penitus defectui studii anatomici, quem tamen non absolute in dubium vocamus, sed & climati calidiori adscribere malumus; nihilominus Hippocrates & Galenus, horumque sequaces tam fluidarum, quam solidarum continentium & contentarum partium nonnullarum mentionem faciunt, neque difficile opus fuisset, si perinde talium concretionum frequenter memoriam injecerint, siquidem ipse *Hippocrates* in libro, suo tempore & quadantenus hodienum adhuc satis solido de corde, Polypi Cordis commoda omnino occasione reminisci potuisset: licet lib. 2. de morbis §. 33. seq. de Polypo narium tractet: quare prævia aliqua meditatione notamus, quod ad internas tales ineongruas epigeneses specialis diætæ, climatis & temperamenti ratio concurrat: Sed cum nobis diffusum nimis opus

opus videatur frustraneas tales concretiones in universo suo conspectu prodere, ita tantum hoc loco Polypi mentionem facere placuit: haud tamen in hac observatione diversas Polyperum species, quoad loca variantes, proponemus, sed præcipue illius præternaturalis concretionis reminisci lubet, quæ Cor detinere observatur: Ob id hac vice debito nostro satisfacientes, dum Inaugurali specimine, Practicum quoddam thema explicare selegimus, de POLYPO CORDIS, quantum ad fundamentalem & essentialem illius cognitionem pertinet, agere constituimus: quod propositum, ut salutarem nanciscatur scopum, est quod in limine præsentis conatus nostri cordicitus precamur.

## §. I.

**D**octrina de Polypis satis sparsa esse potest, quando non modo diversarum partium polyposas concretiones explicare velimus, dum diversi autores de Polypo in cerebro, in corde, pulmonibus, hepate, renibus, in utero &c. differunt, velut de Polypo renis Jac. Sponius: Act. Erud. Lips. an. 1684. Mens. Junii p. 272, 273. de Polypo uteri Gref. de organ. mulier. c. 8. Act. Erud. Lips. An. 1684. Mens. Junii p. 272. Ruysschius obs. anat. chirurg. obs. 6. Act. Erud. Lips. an. 1691. Mens. Febr. p. 67. de polypo æsophagi vermiformi ex pulveris Sternutatorii hispanici abusu tract. Anonym. Act. Erud. Lips. An. 1715. Mens. Octobr. p. 456. deinde Polypo medullaris cerebri reminiscuntur Fracasatus in Epist. ad Borellum p. 325. Lancisius de mortibus subitaneis lib. 1. c. 2. §. 6. de polypis cerebri vid. Blegny Zod. Gallico an. 1680. Mens. Junii obs. 2. Mens. Septembr. obs. 6. Harderi Apiar. obs. 34. & 77. Pechlinus lib. 2. obs. 2. Tulpius lib. 1.

c. 27. in quo posteriori casu tantum polypi similitudo sistitur: *polypi in dura meninge mentis occurrit in A. N. C. dec. 2. an. 1. obs. 35. p. 95.* *Polypos vasorum cerebri sanguiferorum allegant Acta Berolinensia. Vol. 1. p. 46.* de morte subitanea à polyposa excrecentia in capite vid. ib. p. 38. seq. de Polypo in auribus, præcipue in antrō Highmori vid. Ruysschius obs. anat. chirurg. obs. 77. p. 98. sed & quando Galli illius Medici Meray opinionem sectari malimus, quasi quilibet homo polypo quodam laboret, quæ posterior adsertio a particulari ad universale nimis præcocem conclusionem complectitur: utut enim polyposa talia concrementa satis frequenter occurunt, tamen eadem singulis familiaria esse haud possunt, ni firmiores demonstrationes superveniant, neque etiam hoc loco argumenta à possibili petita, quicquam solide demonstrant, cum rectius in Medicina ad certitudinem & veritatem rei sive facti, quam verisimiliudem & possibilitem advertendum sit: Agimus itaque hac occasione de Polypo cordis: & quantum speramus in titulo vix sotica hæsitatio occurrere poret, ni rerum medicarum penitus imperitis in notionibus aliqua obscuritas obtingere queat; alias enim, ubi verba clara sunt, ad interpretationem confugendum haud est secundum L. prospexit 12. §. 1. ff. neque quidem in verborum evolutione hætere placet, adeoque brevibus indica-  
mus, quod Polypi notio medicis sit præter naturale, superfluum, inutile, molestum, perniciosum, concrementum irregulare fungoso-fibrosum, aliquando plane vasculosum, pluri-  
mum sanguinolentum, in plures pedunculos, sive furcas di-  
stributum, colore & consistentia discrepans, successive mole  
sua increbescens & pericula denique vitæ inferens: Sunt vero talia polyposa concrementa tanto magis consideratu digna, quo magis non modo functionum vitalium ordinem violant, sed & internas principales partes corporis occupant, e quibus Cerebrum præcipue & Cor hoc loco no-  
tare lubet, subinde vero confusis, obscuris, occultis & in-  
trica-

tricatis morborum schematibus ansam præbent , quæ tam nunc, posteaquam horum polyporum *indoles magis* innotuit, paulo *facilius indagari & explicari*, licet *difficilius curari possunt*; Præterea etiam ob *hanc rationem polyporum scrutinium in medicina necessarium est*, quoniam *hæc supersuia & inutilia concrementa non modo partes recipientes sive structuram diversorum Organorum occupant*, sed & *vasa sanguifera arteriosa æque atque venosa corripiunt*, sicut *Eduardus Tyfing. in Actis Dancis anno 1679. obs. 29.* & ex eodem *Bonetus in Anat. Practica L. 2. Sect. XI. obs. 3.* additam p. 899. *reminiscuntur mortis repentinæ canis ob polypos omnes totius corporis venas & arterias occupantes*: Neque *æque assiduis & attentis observatoribus in anatomia practica paralleli casus*, qui in *hominibus obtinunt*, *incogniti esse possunt*, quod videlicet *præter partes organicas etiam in sanguiferis vasis ejusmodi polypose concretiones repertæ fuerint*: conf. *Act. Haffn. Bartholin. volum. V. obs. 29.* ubi specimen *polypi e dextro cardis ventriculo eademque auricula ex-euntis per universum systema venosum surculos usque in hepar, renes, mesenterium & adhuc latius & longius distribuentis explicatur*.

## §. II.

Quod vero nunc pressius *Cordis Polypum attinet*, tunc per illum intelligimus , eandem *superfluam, inutilem & nocivam concretionem*, utplurimum *mollem*, pro diversitate specialis *craeos aut dyscrasie sanguinis colore differentem*, tam in cordis *ventriculus* *subsistentem*, quam exinde in *adnexa vasa sanguifera*, utplurimum *magis venosa*, subinde vero etiam *arteriosa*, *exeuntem & copiosis surculis sepe distribuentem*, *liberum progressum sanguinis proxime circa cor, valde impedientem*, denique plane repente *sufflaminantem*, ut *miserere haec tenus afflicti subitanea interdum morte exspirent*; Et *hæc excrescentia in schola medica Polypi appellationem nacta est*, ad *similitudinem illius animalis cum multis pedibus*

bus instructi, incidentis & quaquaversum se distribuenis,  
 exque ac talis polyposa excrecentia cum multis propaginibus,  
 quaquaversum se dispergit; unde ejusmodi polypus com-  
 mode concrementum ramosum & filamentosum, velut in  
 numerosos, pedusculos, extensum & divisum vocari po-  
 test, sicut Bartholinus in Historiis Anatomicis Rarioribus cent.  
 3. hist. 17. & Gohlius in schediasmate de Polypo Cordis ex ne-  
 glectis Hemorrhoidibus differens (quod Praxi sue Infallibili  
 inseruit Valentini p. 196.) nec non Tulpus lib. 1. cap. 27. tales  
 polyporum cordis figuræ conspectui subjecerunt, & Ruy-  
 schius in observationibus anatomico-chirurgicis obs. 6. & ex eo-  
 dem Act. Erud. Lipsiens. Anno 1691. mens. Februar. p. 67. aliam  
 figuram Polypi uteri ad oculum demonstrarunt: quod ve-  
 ro substantiam hujus Polypi cordis attinet, tunc auctores  
 valde inter se discrebant, liquidem ex differente illius consi-  
 stentia atque colore discrepans de eodem judicium ferre  
 deprehenditur: Haud vero Kerckringii in spicileg. anat. obs.  
 73. sententia accedendum esse judicamus, qui post mor-  
 tem, a sanguine congruente & refrigerato Polypum pro-  
 venire assertit, quem Bonetus in Sepulchreto anatomico L. IV. Sect.  
 12. obs. 31. & Job. Maur. Hoffmannus in disquis. corp. hum. anat.  
 pathol. specim. 12. §. 18. Wepferus de cicuta aquai. p. 56. resellunt;  
 hinc alii polypi membranosi, ut Scalpart van der Wiel in observ.  
 rarior. cent. I. obs. 38. reminiscuntur, alii pro concreto adiposo  
 ut Pejerus de polypo in Parerg. anat. III. cap. 6. & Casp.  
 Bauhinus, alii pro carnoso, quidam pro fungoso concreto, po-  
 lypum habent & nunc albicanis, alibi colorati pallidi &c.  
 polypi mentionem injiciunt; conf. Craanen de homine p. 146.  
 Hoffmannus l. c. §. 17. quemadmodum talis ventriculi dextri  
 cordis ingens polypus, ut lympha coagulata, instar gelatinæ  
 pellucide describitur in A. N. C. dec. 2. anno 9. obs. 91. conf. plu-  
 ribus epistola medica de polypo aortæ in A. N. C. dec. III. an-  
 no 1. in append. p. 65. & Malpighius Dissert. de polypo cordis:  
 proinde Tulpus Libr. 1. cap. 27. substantiam putitosam cum  
 mem-

membranaceo involucro præditam esse reputat, quidquod plane polypi *lapidei* memoriam faciunt A. N. C. dec. 2 anno 5. obs. 83. non minus Polypum album, firmum & vere nervosum nulla digitii frictione separabilem allegat *Diemer-brueck Anatom.* p. 403. sic Polypum peculiaribus venis instrutum idem author l. c. & *Lowerus de Corde cap. 2.* p. 142. referunt: *Morgagnus* vero in *Adversario V.* p. 40. venulas in tali polypo fuisse dubitat & autumat, quod ejusmodi tubuli ex sanguine efformati sint: annexit, quod neque ipse neque *Malpighius* unquam tales venulas in polypo reperirent: ex quibus facile inclarescit, quanta sit *differentia substantiae* in hoc *irregulari concreto*: hinc *Pissinus* in *epistola de polypo sanguini melancholico*, *Bartoletus Libr. 4. methodi de differentia respirationis cap. XI.* succis crudis vescicis tribuit, quod *materiale* causam pro cordis polypo constituant: Nos quidem admittimus variorum humorum applicationem ad hujus *Polypi* genesis, unde etiam *differentia coloris & consistentie* illius derivari meretur: ut nunc talis concretio magis *sanguinea*, alibi vero magis *lymphatica & mucaginosa* existat, licet fibresam polypi compagem *Malpighius* fibris cum sanguine fluctuantibus, utut nondum demonstratis, sed tantum suppositis, adscribat: Est itaque Polypus quoad suam *substantiam* tale *irregularare grumo-fibrosum* concrementum, quod tam *mole & magnitudine*, quam *figura & extensio* sua, ferme in quolibet individuo discrepat.

## §. III.

Ab hac *generali præparatione* nunc ulterius progredimur ad *Historiam* illius morbi, qui a *Cordis Polypo* proveneire solet, texendam, ubi mox alias circumstantias, quæ *subjecta*, hoc polypo laborantia, concernunt, annotabimus: Quod itaque *Ætatem* attinet, in qua ejusmodi polypus Cordis homines corripere solet, tunc quidem teste *observatione anatomica*, & ex conformitate *causarum*, quæ ejus-

B modi

modi concrementa invitare solent, ipse natu majoribus paulo familiarior esse solet, quamvis exempla constent, quod juniores etiam homines, infantes &que ac adolescentulos, occupaverit, quales historias inter alios, allegat Bonetus in Sepulchreto anatomico Libr. 2. Sect. XI. obs. 6. §. 1. & Libr. IV. Sect. XII. obs. XIX. Lib. 2. Sect. 8. obs. 14. §. 2. Proinde non omnia Temperamenta in hunc affectum inclinant, sed maiorem dispositionem ad eundem habent Melancholici, qualicunque alterius temperamenti commixtione gaudent, siquidem *sanguis melancholicus* ad tales congruencias facilius proclivis est, hinc Pissinus, ut antea a nobis modo notatum fuit, hos polypos a *sanguine melancholico* deducere solet: Subinde deprehenduntur interdum ejusmodi subjecta evidenter & eminenter *plethora*, sicut eadem *plethora* ad polypi hujus concretionem multum contribuit; neque cum silentio illa notatu digna circumstantia præreunda est, quod in ejusmodi ægrotantibus præcurrentia molimina *haemorrhagica*, in junioribus *haemoptryica*, in adultioribus *haemorrhoidalia*, nec non *auctualia* talia sanguinis profluvia, quæ vero postea in *anomalum* statum degenerarunt, observata fuerint. Quo denuo referri meretur, prædictus casus polypi cordis celebri pratico Dno. D. Goblio communicatus, qui ex *Haemorrhoidum* turbis ortum traxit, & reminiscitur hac occasione D. D. Præses alicujus junioris vi-  
due chilarchæ conjugis, quæ ex subitanæ *mensum* suppressione *Cordis Polypum* & phthisi naæta erat: Porro notatu etiam digna est circumstantia, quod observatores passim etiam reminiscantur, quomodo in subjectis, quæ *Peripneumonia* laborarunt, & succubuerunt, cordis polypi reperti fuerint, conf. Bonetus in Sepulchreto Anatomico, Libr. IV. Sect. 12. obs. 19. & Act. Berol. Vol. IV. p. 66. 68. insuper etiam in polyposis talibus subjectis observatum fuit, quod *sedentarie* vita illa addicta fuerint, quod *copiosores* cibos ingesserint, *parcius* vero *potulenta* fluidiora & temperatoria assumserint,

rint, quod e potulentis, *saturatoria & spissiora* selegerint, quod *cibis crassioribus viscidiорibus, frigidioribus*, ex parte etiam *acidis & austeri* sua fuerint, quod in diæta *intemperata & irregulari*, nec non in reliquo *regimine confuso*, turbulentio, maxime quidem *refrigerante* constituta fuerint, quod *negligentiores ordinariarum evacuationum* successum, maxime vero frequent orem *alvi segnitiem & adstrictionem* experta sint, quod alii alimentis & potulentis *incrassantibus, adstringentibus, sanguinis dyscrasiam* conciliantibus fructa sint; quo ex parte commode referri possunt *vina acida, austera & recentia*, ut & incongruus atque immodicus haustus *spiritus ardentes*; quod porro in negotio *respirationis* variis offenditionibus exposita fuerint, quod etiam aliqua illorum, interna *concretione pulmonum cum pleura* laboraverint &c. que singulæ circumstantiae sicut in *historica* hujus affectus delineatione obliterari minime debent, ita simul complectuntur *Historiam illarum causarum*, quæ ad hujus *Polypi genesis* contribuere deprehenduntur.

## §. IV.

Quod vero nunc ipsa *morbosa pathemata* attinet, ex quibus *Polypus* in *Corde praesens agnoscit & declarari potest*, ita quidem *Willisius in pharmacia rationali Sect. VI. part. 1. cap. 3.* dicit, quod hic polypus difficulter agnoscatur & rariſſime curetur; interea tamen hæc *Diagnosis* non penitus impossibilis est, modo attente & prudenter instituatur; Et ita quidem dantur signa *Pathognomonica* huic affectui *essentialia*, quæ vero *ob hanc circumstantiam quadantenus* discrepant, quando polypus postea vel *crassius ventriculis* coridis inhærere vel per *vasa pulmonalia sanguifera extensus* observatur: Ita enim *Polypo Cordis* laborantes gravi *angustia* laborant, que *ab aliis anxietatibus* admودum discrepat, siquidem patientes paulo *attentiores & judiciosores*, *ango rem in corde obvium* describere sciunt, qui *angor non modo*

do per intervalla exacerbatur, sed eousque increbescit, ut ejusmodi patientes in *lipothymias* valde proni sint, quippe quæ signa *Anxietatis & Syncopes* in historia quadam medica *Polypo cordis* adscribuntur in A. N. C. Dec. 2. anno X. obs. 160. deinde hunc polypum cordis communiter etiam *Palpitatio cordis* comittatur, conf. *Sylvius* in *Prax. medica* Libr. I. cap. 35. *Bonetus* anat. *Pract.* L. 2. Sect. 8. obs. 10. & 12.-14. A. N. C. dec. 2. an. 6. obs. 232. ubi titulus: *cordis palpitatio diuturna a polypis cordis in utroque cordis ventriculo lethalis*, quemadmodum *Lentilius* in *Miscell. medico-practicis* part. 1. p. 292. e frequenti *cordis palpitatione & subitanea morte ad polypum cordis* argumentatur, & hæc palpitatio, non modo vehemens, sed etiam frequens & cum prædicta anxietate valde conjuncta existit: *Pulsus* in talibus polyposis subiectis est valde turbulentus, *inequalis*, modo *debilis*, modo *durus*; non raro *intercurrents & interceptus*, cuius characteris reminiscuntur, *B. Wedelius* in *Exercitationibus medico-philologicis* exercit. XIII. *Vesalius* in *anat.* L. 1. cap. V. *Riverius* cent. IV. obs. 21. *Bonetus* anat. *pract.* Libr. 2. Sect. 9. obs. X. in non-nullis polypo cordis laborantibus subiectis concurrent simul molimina *hemopyrica*, sicut polypi cordis in *Flæmoptycico* mentio occurrit in A. N. C. dec. 2. anno IV. obs. 193.: Communiter affliguntur tales patientes cum valde angustante *Phlegosi*, aliquando vero iterum cum valde suspecta & cum multo angore conjuncta *refrigeratione corporis*, quippe quæ signa ut plurimum talem internam angustiam comitantur; sub hoc *confuso* morbi statu *color naturalis* in facie valde mutatur, unde *Wepferus* in *Tractatu de cicuta aquatica* p. 55. dicit, *polypo cordis laborantes* facie livescunt aut pallent, in extremis levi ex causa frigescunt; conf. *Albinus* *disputatione de polypis* §. XL. quando vero vicissim nova exacerbatio supervenit, tunc evenit etiam interdum, ut sub gravi *dyspnæa ægrotantes* in facie rubescant & venæ in capite admodum *intumescent*; omnes functiones in hisce ægrotantibus valde sunt læse

*lesse & quidem in admodum confuso statu & processu constitutæ; quæ signa hactenus commemorata non modo generice polypo cordis familiaria sunt, sed & illis præcipue consueta subjectis, quæ majorem polypi partem in cordis alveis gestant.*

## S. V.

Quando vero polyposa talis concretio sese in *vasa pulmonum* sanguifera extendit, tunc utplurimum magna respirationis impedimenta occurunt, licet alias plurimi horum cordis polyporum talia *vasa* invadant, unde difficultas *Respiratio* hunc affectum comitari solet, sicut testimonia hujus asthmatis afflictionis occurunt in A.N.C. dec. 2. anno X. obs. 174. Willisi Tract. de Affectione hypochondriaca, Boneti anatomia Prædicta Libr. 2. Sect. I. obs. 7.8-18-29. 30. & Sect. X. obs. 3. Bleagny Zodiaco Gallico anno 2. mens. Junii obs. 16. Diemerbroeck anat. Libr. 2. cap. 9. & haec dyspnœa cum metu imminentis suffocationis conjuncta est, tanto magis vero magna evadit, quando ejusmodi patientes vel extraordinem corpus commovent, vel extraordinarias sanguinis ebullitiones experuntur: Porro *Vires* in hisce ægrotantibus valde sunt prostratae, adeo ut per intervalla illis penitus defituti, propterea in mortis fauces traditi videantur; licet postea iterum quasi reviviscant: *Appetitus* aliquando est satis vegetus, postea vero iterum valde imminutus, licet post assumtos cibos patientes utplurimum graviores experiantur angustias: *Somnus* communiter est valde turbulentus, interruptus & cum diversis terribilibus insomniis stipatus, qui insuper virium reparacioni parum inservit; *Animus* ita ægrotantium admodum est afflitus, ita ut interdum omnes mentis operationes vacillent & apoplectici velut insultus corripiant, cum internorum & externorum sensuum momentanea periclitazione: invadunt etiam aliquando confusa dolores capitatis operiorum, distensorum, cum temulentia & imbecillitatis sensatione conjuncti: imo subinde quandoque ominose & repentinae

B 3

Ver-

*Vertiginoſæ perturbationes invadunt, quæ affectum præsentem magis opprimunt, animum angunt & vires enervant: Quidquid ad indolem affectuum apoplecticorum subinde variæ viſus & auditus præcipue perturbationes intercurrunt aliquando suffocatiſæ comminationes ita ægrotantes invadunt, ut propterea ſimil omnis vita ſpes decollet, ſub qua periculosa afflictione more affectuum suffocativorum capitum vene inturgescant, oculi intumescant & facies inflatur, atque ominolo rubore perfunditur: interea corpus ſuccellive contabescit, quando chronicā afflictione hic affectus ſua detinet ſubiecta & præterea varia alia ex individualibus cauſis provenientia, ſatis confuſa morbi que ſchema occulantia occurruunt pathemata: Urina ut plurimum est turbulenta, opaca & cruda, quidquid variis alterationibus in modo excretionis obnoxia: Sanguis quando hifce ægrotantibus educitur, ut plurimum conficitur male craseos & morbosæ conſistenſia eſſe, ſiquidem ipſe aliquando ſpumidus, attamen nigricans, communiter vero ſpiffus, obſervatur; quando vero cum Cordis Polypo alii morbi affectus concurrunt, tunc horum morborum pathemata una coincidunt & præſentem calamitatem deteriorant, ſiquidem teſtimonia obſervatorum proſtant, quæ Polypum cordis in phthisicis, hæmoptycis, aſthmaticis, aut ubi pulmones cum pleura concreti ſunt, nec non in hypochondriacis, ſpleneticis, Mensium & Hæmorrhoidum anomaliis laborantibus deſcribunt, quæ complicationes morborum tanto magis totum affectum exasperant.*

## §. VI.

Quam intricatus, confuſus, periculosus, cognituque diſciliſhic affectus videtur, tanto facilius paulo ipſius præſentia ſignificari potest, quando ſingula pathemata collective annotantur & conciliantur; quemadmodum ipſum confuſum morbi ſchema, cum eminentioribus Polypi Cordis signis conciliatum, hujus affectus certitudinem denunciat & quamvis

vis aliquando hanc præternaturali concretione correpti aliquamatu ægrotare & chronicò quodam morbo decumbere soleant, tamen hic Cordis Polypus ad subitaneam etiam mortem, disponit, uti passim observatores inopinatæ & repentina mortis, ex Polypo Cordis ortæ, mentionem injiciunt, vid. *Lancifus de mortibus subitanis*, *Waldschmid in casu de corpulentia*, *Tulpius Libr. I. cap. 27.* *Weppferus de apoplexia l. c.* *Bonetus Anat. practica Lib. 2 Sect. II. obs. 6.* *Bartholinus epistol. medic. Cent. 2. epist. 86.* *Borellus*, *Blancardus*, *Hardenus aliique*: Qui vero lenta morte exspirant, illi certe miseram mortem experiuntur, ubi præcipue confusa angustia & cum his haud proprius conspirantes aliae afflictiones, ægrotantem detinent: Sicut vero in hoc affectu pulsus cordis & progressus sanguinis admodum perturbati sunt, ita etiam *Respiratio*, quæ alias cum hisce motibus in proportionata harmonia cohæret, valde *perversa*, *impedita* & *confusa* est, ita ut hujus *Respirationis* perturbatione iterum *pulsus* & *progressus* graviores *turbas* causetur, adeo ut horum motuum perpetua adsit reætio ad majorem *confusionem* excitandam idonea: ut plurimum itaque observatur, quod tales ægrotantes *Suffocatione* extinguantur, cuius vestigia deinde in defunctis satis evidenter occurunt, quare *Bartholinus l. c. epistolarum medicarum catarrho suffocativo extinctos tales ægrotantes allegat*, licet *catarrhalis morbi schema* non semper concurret, sed *specialissimis* subjecti individui circumstantiis nitatur: Evenit etiam aliquando, ut stupenda *Hæmoptysis* huic Cordis Polypo superveniat, sub qua cruentam animam una efflant patientes: Quandoque hoc polyposum concrementum actualem *Phthisis* post se trahit, unde neque penitus raram est, polypos tales in phthisicis demortuis reperiire, conf. *A N. C. dec. 2. anno 8. obs. 129.* Et quemadmodum ejusmodi concrementa & *consistentia* & *magnitudine* & *materia* discrepant, tamen plurimæ prædictarum *morbidarum* afflictionum hunc affectum comitari solent,

solent, nisi *major* polypi moles, magisque lata illius dispersio, graviora & intricatiora pathemata morbosca causetur; Neque desunt exempla unde annotatum fuit, quod *Polypus Cordis* præter valde implicatum *asthmaticum* statum, una *Pedoris Hydropon* provocaverit, quemadmodum in aliis subjectis *hydropo* *ascite* laborantibus interdum cordis polypus reperitur, vid. A. N. C dec. 1. anno 4. obs. 31. qui comitatus eo *graviores* reddit reliquum morbum; Quemadmodum in *utroque* cordis ventriculo natus talis *Polypus* aut qui cordis ostia adeo obstruit, ut exiguis pateat aditus, qualem observavit *Lowerus* tr. de corde cap. 2. p. 142. iterum *totum* morbi schema exasperat & deteriorat, ut propterea prudens & attentus artifex e *gravitate* morbi ad magis *qualificatum* statum *Polypi* præsentis & simul *incubabilis* concludere possit: In quibusdam subjectis superveniunt *ædematosi* pedum tumores, in aliis consequitur corporis contabescencia, adeo ut hæc *differentia* symptomatum non modo *gravitatem*, sed & *perplexum* hujus morbi statum significet.

## §. VII.

Quod vero *Anatomicam Polypi Cordis explorationem* attinet, tunc *perfrequens* illius mentio occurrit in Medicorum observationibus & quidem interdum deprehenditur talis *Polypus* in *utroque* cordis ventriculo conf. A. N. C dec. 1. anno 1. obs. 31 in scholio dec. 2. anno 6. obs. 233. Cent. 1. obs. 167. *Bonetus Anat. Præcl. lib. 2. Sect. I. p. 559. obs. 7.* Aliquando reperitur talis polypus *duplex* in uno ventriculo Dec. 2. anno 9. obs. 91. anno 6. obs. 232. dec. 1. anno 4. obs. 31 quandoque *tres* polypi cordis reperiuntur vid. *Lentilius in jarro nemat. med. pr. p. 22.* nonnunquam observatur in *Vena cava* talis polypus vid. *Blegny in Zodiaco Gallico* mense *Junio* obs. 16. Quandoque inventur vel in *arteria pulmonali* vid. *Zac. Lufit. M. P. H. Lib. 2. Histor. 12. p. 187.* vel in *arteria magna* vid. *epistola medica in A. N. C. dec. 3. anno 1. ap-*

1. appendice p. 85. & Ramazzini de constitutione anni 1691. conf.  
*A. Erud. Lipsiens. anno 1692. mens. Mai. p. 221.* ubi pluribus  
 præter predictos observatores de Polypo Cordis conf. A. N.  
*C. Cent. 1. obs. 167. p. 342.* Bonetus in Sepulchreto anatomico Libr.  
 2. Sect. 1. p. 430. & libr. 4. Sect. XII. obs. 19. & 27. Bartholinus in  
*Act. Haffn. volum. 4. obs. 17.* Vesalius in anatomia Libr. i. cap.  
 5. Panarolus Pentecoste 4. obs. 29. Riverius cent. 2. obs. 77. Act.  
*Berolinens. vol. 2. p. 91. & 77.* volum. 4. p. 67. & 68. volum. 8. p.  
 78. volum. 7. p. 66. 67. 69. 73. 74. volum. X. Sect. 1. p. 14. Schenck.  
 Libr. 2. de corde sub. titulo carnosa excrescentia ventriculi cor-  
 dis obs. 1. 2. 3. ex Benivento cap. 35. de abditio & Vesalio de hu-  
 mani corporis Fabrica ; ex quibus testimonii facile patet,  
 quod obseruatio de Polypo Cordis non modo satis frequens,  
 sed & attentio ingenii etiam cognita sit, quæ indagatio anato-  
 mica propterea ulteriori industriae atq; scrutinio commen-  
 dari meretur, licet satis superque notum sit, qualis horum  
 Polyporum status mere physicus seu materialis existat, insu-  
 perque etiam attentis medicis ex prædictis haud incognitum  
 esse potest, qualia offendicula idem Polypus vitæ ac sa-  
 nitati struat: Neque hoc ordine præterire placet, quid Ga-  
 lenus Libr. IV de locis affectis cap. 7. & ultimo de obstrukione  
 arteriarum pulmonis cum crudo tuberculo resert, adeoque in  
 casu aliquo practico polypose ejusmodi concretionis men-  
 tionem facit ; cuius preternaturalis status etiam reminisci-  
 tur Aetius in Tetrabillo Secundo, sermone quarto cap 57. & Do-  
 natus Antonius ab Altomari libr. de medendis humani corporis  
 malis cap. 48. & Hollerius ad caput trigeminum Libr. 1. de mor-  
 bis internis ex qua historia , quam fuisus exponit Zactus  
 Lusitanus in Medicorum Principum Historiis libr. 2. hisfor. 12.  
 quadam tenus patet, quomodo hujus affectus antiquiores a-  
 liqualem notitiam habuerint, licet illa adeo exacta ha-  
 fuerit ; ubi adhuc occasione hujus casus indicare placet,  
 quod subjecta tali Cordis Polypo laborantia, qui sece in va-  
 sa pulmonum sanguifera protendit, interdum aliqua *sicca tuffa*

laborent, siquidem tale concrementum non modo *legitimum sanguinis progressum per pulmones impedit, sed & liberam pulmonum expansionem una aggravat, ut tussiculosa talis commotio pro utroque impedimento sublevando superveniat.*

## §. VIII.

Superest, ut in *historico* hujus affectus commemoratio ne adhuc aliquas consideratu dignas, observationes ad *Prognosim* pertinentes, subnectamus: in genere quidem de hoc affectu notandum, quod *valde periculosus* & quando jam confirmatus est, *vix arte medica sanabilis* sit; unde non modo *successive augescit* & *numerofioribus symptomatis* increbescit, sed & *internis medicamentis non mulum obtemperat*, adeo ut propterea *folliciti artifices in admirationem ducant*, cur medicamina, quae *alii* juvant, hisce *agrotantibus nihil quicquam solaminis afferant*: Hinc evenit, ut medicamenta *potentiora* cum *periculo* omne & effectu *præsentem affectum gravissime offendant*: Proinde hic morbus familiarius *cito* sua subiecta *jugulari*, neque *adulam etatem* promittit, aut concedit, unde hoc *præternaturale concrementum repentinae mortis causis annumerari potest*: Quo magis schema hujus morbi *confusum* est, eo *citius funestum nanciscitur exitum*: quo magis *ominosa symptomata* in hoc morbo *accumuluntur*, eo *pericolosior* status est: Quo magis *præter consuetum angorem Respiratio* læditur, eo *deterioris indolis* est morbi status; *sanguinis superflua copia* in hoc affectu metum periculi *auget*: idem etiam facit *successive increbescens sanguinis spissitudo*: Quo magis *Vires* vacillant & *Syncope* affligit, eo *citius funestus exitus* metuendus est: Quando sub hoc affectu multum *Caput* in *consensum* dicitur, tunc status morbi iterum *pericolosior* est: *Eminentiores ordinariarum & necessariarum evacuationum turba* celerius comminantur *periculum*: *Concursus perturbationis internorum & externorum sensuum* iterum *majus*

maius portendit periculum : *Pulsus quo magis confusus & intermittens existit, eo deterior est morbi conditio: Somni perturbatio & sufflaminatio cum magno angore conjuncta, ut & insomnia terribilia acerbiorem affectus gradum denotant: Supervenientes affectus Soporosi & Oedematosi æque majus significant periculum: Concursus confusorum molitum hemorrhagorum, nec non contumax præteritarum salutarium Hæmorrhagiæ suppressio, nunquam graviori carent periculo: complicatio inordinatarum & ex insolitis viis erumpentium Hæmorrhagiæ, præcipue simultanearum & prodigarum, valde periculosa existit: Supervenientis aut præsens alia pulmonum labes tanto magis tragicum eventum accelerat; Quando hic affectus ex mala medicatione & ex frequentibus animi pathematis, ut-pote terrore, magno timore, mœrore tristitia & angente afflictione natus est, tunc eo citius hæc larva morbi deterioratur, subinde vero lethalis eventus acceleratur, quando incongrue medendi methodi obtruduntur & continuantur, iidemque affectus animi frequentius reiterant: Omnes simultaneæ evacuationes, confusæ sudationes, urgentes & cum multo angore cohærentes rusticulæ commotiones periculo plenæ sunt: Quo citius corpus contabescit faciesque valde mutatur, eo citius tragicus imminent exitus: Quibus observationibus ansam præbere voluimus, ut ulteriori intentione & attentione suppleantur augeanturve, quæ ad Prognosticam hujus affectus considerationem spestant.*

## §. IX.

Post Historicam Polypi Cordis explicationem, nunc Pathologica illius commendatio excipit, in qua ante omnia indicamus, quod hic Polypus sit *confusum* concrementum e diversis humoribus conflatum, non sine naturæ erronea synergia ex *accidentali* quadam causa natum & cum *tunicis* cordis & vasorum sanguiferorum proximorum coalescens;

C 2

est

est itaque talis Polypus non nudum coagulum, sed subinde aliquod concrementum, quod ex parte illius *consistens fibrosa*, deinde *cohesio membranoso-fibrosa* cum proximis partibus testatur siquidem hic coalitus ut plurimum adeo *fimus* est, ut non nisi intensiori cultelli applicatione separari queat, quæ ipsa concretio vix ita fortuita esse potest, ut adeo penitus erroneous formationis actus naturæ excludi queat: prouide quidem alia concrementa, æque confusa & irregulari parallelo testantur argumento, quod talem polypum natura *aberrante* aliquo actu generare, sustentare & augmentare possit, cum in corpore *exteriori* similes epigenes *imaginationis* efficaciam & dominio obtemperant, unde hanc conclusionem formamus, si *similes concretiones*, quæ videlicet cum *polyposis* concrementis ratione *texturæ* convenient, *imaginationis* vi obnoxiae sunt, *imaginatio vero operatio animæ*, quæ *natura* est, existit, sequitur polyposas tales concretiones omnino à *natura* provenire, quæ illas ex parte construere *adjuvat*, licet totum concrementum polyposum non penitus *fructum* corpus, sed & *frustum* i. e. ex *coagulatis* nonnullis humoribus conflatum sit subiectum: Sed quis non mox *vulgarem* totiesque *enervatam*, ast denuo tanquam ex *aberrantiæ* rationis Chimæra natam, præsumat oblocutionem, quod perperam *naturæ* talis error imputetur, siquidem hoc concretum ipsi magis *danno*, quam commodo esset; quicunque itaque sibi naturam ab *omni errore* immunem imaginantur, illi justam de nostro adserto dubitandi causam habere sibi persuadent; ast quemadmodum ex multis *aliis* concrementis internis ac externis hic *error* *naturæ* evidens doceri & demonstrari potest, vix ullo jure *infallibilitatem* *naturæ* *humanae* propugnare & tueri possumus: quando enim *assimilationem* *aliorum coagulorum* examinamus, dum forsan ex *vetusto muro*, ex locis supra *cellas* *constructis*, ex *trunko arboris* *abscissæ fungi* quidam enascuntur, tunc sane adhuc multæ *intercedunt* circum-

cumstantiae, quæ illius contingentis applicationem ad *polypum cordis* haud admittunt; quas differentes circumstantias, facile quisquam agnoscere poterit, nisi adhuc nobis integrum sit excipere, quod propterea non *omnia* talia concrementa fungola *promiscue confusa* & mere fortuita sint, sed quod aliqua ab *alia* directione & conformatio[n]e pendeant: unde de *Polypo cordis* judicamus, quod *prima* illius initia non sint *a natura*, sed quod *alteri* cuidam causæ adscribi debeant, *ulterior* vero illius *augmentatio*, *elaboratio* & *conservatio* omnino *naturæ accenseri* mereatur, ob prædictas rationes, quod videlicet illa in multis *errores* prona sit, quod *in proprio suo corpore* variæ partes *regulariter* & *irregulariter* struere quæat soleatque, quod hujus concrementi polyposi compages *non absolute confusa* & mere fortuitis caulis inputanda sit, quod *similes externæ concretiones imaginationis efficacia subiectæ* sint, ubi nobis ex *conformitate aliorum concrementorum ad hunc Polypum Cordis tamdiu* concludere licet, donec probetur *contrarium*.

## §. X.

Ad ejusmodi concretiones cordis & annexorum vasorum disponit maxime humorum *spissitudo*, unde sua *visciditate* aliquando hisce locis tales grumi adhaerescunt, quin denique *concrescunt* & quandoque plane velut pars ad corporis *integritatem* spectans, *aluntur* & asservantur, ut propterea in quosdam alias polypos *vasa sanguifera* inplantentur: *parallelum schema* concretionis occurrit in *sarcinatae corporis exterioris*, quod *prima initia atque radices* capessit ex *papula* & *stasi* quasi *sanguinolenta*, donec successive ejusmodi tuberculum *augeat* & *peculiaribus vasis sanguiferis* instructum in *deformem molem* accrescat: quo magis vero massa sanguinea de *mucagine* participat, eo magis talis *Polypus mucilaginosus* existit, aut quo magis e lauta & valde *gelatinosa* diæta M. S. cum *lympa* imprægnata est,

eo certius contingit, ut sub reliqua illius *lympha incrassatione*, circa cor, ubi proximus est thoracico ductu copiosus *gelatinosus* hic humor affluit, colore & consistentia discrepans talis polypus *limpidus*, *gelatinosus*, mucilaginosus generatur: interea praecedens haec adhesio viscidiorum talium grumorum ex massa sanguinea proximiorem ansam ad consequentein concretionem suppeditat: quo vero vel in corde, vel in illius confiniis talis *prævia adhesio* contingere queat, multum contribuit, aut sanguinis *superflua* plenitudo, aut copiosa illius *congestio* ad *præcordia*, aut *impeditus* & enervatus ipsius cordis motus: inde etiam evenit, cur cordis polypo laborantes ut plurimum *plethorici* sunt, cur conservata plethora hunc affectum *exacerbatur*, cur imminuta plethora, hunc morbum *minuit* & *mitigat*: inde etiam est, cur affectus, qui principalius sanguinis *spissitudine* nituntur, frequenter polyporum diversorum presentiam inferunt; cur ex causis sanguinis *spissitudinem* provocantibus *eminens* & certius tales polypi provocantur, uti ex praecedentibus nunc patet; cur omnia media sanguinis *crasitatem* sustentantia & augentia, vel *corridentia* & emendantia huic affectui vel prosunt vel obsunt: cur ut plurimum sanguis in hoc morbo *evacuatus* & colore & consistentia suam *spissitudinem* testatur: cur singulares illæ causæ *suppressarum Hæmorhagiæ* salutarium, quæ alias & *plenitudini* & *spissitudini* sanguinis morbosse contrahendæ inserviunt, ad polypum cordis disponunt: inde etiam patet, cur ex usu *remediorum* motus necessarios *enervantur*, velut opiatorum aut sub certis circumstantiis *impedientur*, utpote *adstringentur*, polypi invitantur; cur sub nimia cordis operatione ex *multitudine* & *spissitudine* sanguinis, tale concrementum oritur; cur morbis chronicis, utpote *phtisisi*, malo *hypochondriaco*, *spleenetico*, *asthmatico*, *hydropico* &c. hic affectus *supervenit*, ubi præter *vitiōsam* sanguinis qualitatem, etiam cordis *imbecillitas* accusanda, indeque polyporum genesis deri-

van-

vanda est ; cur cum plurimis illis affectibus , cor in consensum trahentibus & offendentibus hic affectus complicatur.

## §. XI.

Quod superflua & molesta sanguinis copia talem concretionem polyposam causetur, non modo à posteriori & ex effectu patet, sed etiam à priori facile demonstrari potest; siquidem sanguis, uti in toto corpore abundans, ita majori tali copia in corde & circa præcordia confluit, qua ubertate non modo in suo effluxu & progressu interdum impeditur, sed & vegetus & validus cordis motus aliquando debilitatur, ut sub hisce circumstantiis facilius sanguis cum hisce partibus coalescere, imo denique concrescere soleat: id ipsum vero eo facilius contingit, quo frequentius & consumacius congestiones Cor & præcordia obruunt & affligunt: inde etiam evenit, ut cum moliminibus hæmoptycis activis, qui nunquam sine talibus congestiñbus invadunt & decurrent, per saepe cordis polypus communicet & complicetur: hinc Mensium & Hemorrhoidum suppressiones & anomalie, quæ communiter cum asthmatico symptomate stipatae sunt, ad ejusmodi Cordis Polypum anfam dant, id quod tanto facilius evenit, quo citius ac certius tales prægressarum salutarium Hæmorrhagiæ turbæ cum ingruente sanguinis spissitudine complicantur: ob id porro accidit, ut, quia in omnibus chronicis peccoris morbis, vel impeditus humorum progressus per pectus, vel congestiones & copiosi affluxus humorum ad pectus coincidunt, propterea multos horum morborum Cordis Polypus comitetur: quare ex anatomica observatione patet, quod uiplurimum in illis subjectis, in quibus pulmones cum pleura coaliti deprehenduntur, etiam polyposa hæc concretio in Corde hujusque confiniis inventatur, ex nulla alia principali causa, quam eadem impedita sanguinis circulatione in corde & præcordiis; quo magis porro in affectibus ex Plethora, perturbatis hæmorrhagiis & sanguinis

guinis *spissitudine* natis remedia motus *cubitaria* & valde  
*sedentia* usurpantur, eo certius & facilis talis *Polypus* ori-  
tur, quoniam eo ipse *liber* & *sufficiens* progressus sanguinis  
in *confiniis* cordis valde turbatur: inde etiam contingit,  
ut, quicquid ad *segniorem* & *impeditiorem* talem sanguinis  
progressum in genere contribuit illud etiam ortui *Polypi*  
cordis admodum faveat: hinc *vita sedentaria* efficacissi-  
mum adminiculum est, quo non modo faciles & frequen-  
tes *stagnationes* eveniant, sed & diversæ speciei *epigeneses*  
*præternaturales* exoriantur: quicquid porro sanguinis con-  
sistentiam adeo alterat, ut proportionem suam *ad liberum* &  
facilem progressum amittat, illud ad talem *Polypum* cordis  
excitandum contribuit, quo præcipue secundum histori-  
am causarum, in præcedentibus a nobis propositam, *ad-*  
*stringentia*, *increassitia*, *refrigerantia* & motus *cubitaria*  
*medicamina* aut *insufficiens* partium fluidarum dilutio  
pertinent: imo ipsa *animi pathemata* per quam idonea sunt  
ad talem concretionem causandam & quidem *illa*, quæ  
*salutares Hæmorrhagias* opprimunt & turpant, quæ vege-  
tum impulsu & progressu sanguinis impediunt, quæ libe-  
rum circuitum sanguinis in corde illiusque confiniis per-  
vertunt & retardant, aut ex reliqua corporis regione ad  
*præcordia* frequentius sanguinem convocant, ut sunt ter-  
ror, timor, mœror, anxiū desiderium, anxia sollici-  
do, ærumnā, cura & similes afflictiones: Et dum *Melan-*  
*cholicum* temperamentum plurimas hafce causas, quæ *ani-*  
*mum* & *corpus* concernunt, experitur, maxime quidem  
humorum *spissitudine* & difficiili illorum progressu, imo *im-*  
*peditis* evacuationibus laborat, ita *Cordis Polypus* huic  
temperamento facilis, quam alteri evenire solet, in  
quod alie prædictarum causarum *tenaciorem* & *faciliorem*  
concursum & *efficaciam* habent.

§. XII.

Ex hac tenus dictis facile liquet, quænam Polypi cordis indoles, forma & genesis existat; unde nunc *alia* pathologicæ considerationes instituendæ & subiectandæ sunt: ex observatione itaque *anatomica* constat, quomo<sup>d</sup>o polypola talia concrementa & mole *majora* & genesis sua *frequenter* reperiantur in *venosis* vasis, cum corde cohærentibus, quam in arteriosis; quare observatores *arteriarum* polypos magis mirantur & tanquam insolitum eveniens describunt, quam venarum: etenim dum progressus sanguinis per *venas* comparative tardior & debilior ex parte etiam ipse sanguis *crassior*, in arteriis vero fluidior & subtilior, motus etiam sanguinis validior & rapidior est, propterea in *venosis* vasis facilius spissior sanguis cohæscere & coalescere solet: Quod vero *Sympromatum*, hunc affectum stipantium causas attinet, tunc mirum esse haud potest, cur *angustia* *cordis* principalissime hos ægrotantes affligat, siquidem tale præternaturale concrementum liberum sanguinis motum in corde & circa præcordia valde turbat, ut impedit & confuse procedat, hinc per *venas* cum eiusmodi polypo quadantenus *occlusas* & oneratas sanguis & quantitate necessaria & proportionata motu difficulter ad cordis ventriculos affluit, è corde vero & per arterias, quando illuc polypus adeat, similiter ægrius, impeditius & inordinatus effluit, ut propterea in corde & pulmonibus causa *angustiae* reperiatur: eapropter etiam *pulsus turbulentus*, impeditus, confusus aut aliquando intermittens & interceptus est: sub tali calamitate, ubi *principalis* ille cordis motus tantis subiectus est difficultatibus & toties repentinum vitæ periculum imminet, aur subitanea suffocatio instat, satis saepe ardua & ominosa *Lipothymia* intercurrunt, tanquam præcox naturæ stupor ac consternatio de tam *calamitoso* corpo-

D

ris

ris statu, in quo ferme omnis medelx, ab ipsa natura su-  
scipiendx, spes decollat, quæ propter qualificatam talem  
afflictionem omni fere sensu ac motu a corpore suo sese  
abstrahit, id quod imprimis illo tempore certius & faci-  
lius contingit, quo periculum prædictum gravius esse solet:  
habet itaque tale animi deliquium magis causam moralem,  
quam nude physicam: quo minus enim rationes & sensu-  
um functio a motu sanguinis pendet, ita potius illa ex alio  
respectu & ab alia causa propter talem motum, diversimo-  
de alteratum, etiam immutatur; unde in præsenti casu du-  
plex omnino est enunciatio, quod Lipothymia à pertur-  
bato sanguinis motu efficienter dependeant & quod illæ pro-  
pter illas afflictiones a natura admodum sollicita, anxia,  
consternata & abjecta proveniant; prius negamus, poste-  
rius affirmamus adserum, quippe quod citra supposi-  
tionem aliquam rationi & statui morbi magis conforme est,  
cum superius nudis suppositionibus, nullis vero demon-  
strationibus nitatur: Et cum hic Polypus Cor præcipue  
affligere soleat, ita ægrotantes angustiam suam bene deter-  
minare & ab alia angustia discernere norunt, qua ipsa an-  
gustia hic affectus se ab aliis morbis, anxietates præcor-  
diorum una inferentibus, distinguit, dum illa in corde  
percipitur, gradu major est, eminentiorem pulsus alte-  
rationem causatur, ferme sine mora continuat, nisi gra-  
du aliquo modo augeatur, modo minuatur, cum reliquo  
satis confuso morbi schemate in perpetuo nexu & comitatu  
consistit, maxime vero alias cordis polypum denotantes  
charakteres consentientes habet: quæ signa facile æquivoca-  
tionem, quæ hanc angustiam concernere posset, dissol-  
vunt, ut propterea Diagnosis hujus affectus haud adeo diffici-  
lis, ne dum quidem penitus fallax aut impossibilis esse & æstimari  
queat debeatque.

Prædictis rationibus satis evidenter nititur porro admodum *difficilis Respiratio*, velut inseparabilis haec tenus annotati *angoris* comes: quo difficulter enim e dextro *cor-dis* antro intra *pulmones* effluit *sanguis*, eodem etiam *diffi-cultatis* gradu per *pulmones* progreditur & sinistrum *cordis* alveum ingreditur, id quod tanto magis *præsentem angu-stiam* auget & exacerbat: Quando vero *sicca Tussis* con-currat, tunc *rationalis* & in *observatione* fundata subest *præsumptio*, quod *polyposum* tale *concrementum latius* in *vasa pulmonala sanguifera* se distribuerit, quæ *mole sua* & *concurrente difficili sanguinis progressu cellulosa* *pul-monum* *texturam* in *libera sua expansione* impediunt, unde *superveniens tussiculosa commotio* *adminiculum* esse potest, ne *sanguis tardius & difficilis* per *pulmonum* *texturam* in *hoc casu progrediens*, aut per *vasa sanguifera* *impeditius effluens & refluens* in *actualem & lethalem statim delabatur*, sed *hac pectoris commotione concuiatur, discutiatur & in progressu suo allevetur*: quodsi etiam contigerit, ut *sub confuso* *tali sanguinis circuitu* in *pulmonibus humorosæ acci-dentales secessiones & mucidæ sepositiones consequan-tur, tunc eadem tussiculosa commotio, ad excutienda illa collectanea inservit*: proxime insuper cum corde con-sentit *Caput*, ut sub turbulentio tali sanguinis progressu cir-ca *cor & præcordia*, æque *irregulariter* per *caput sanguini* *progressus succedat*, ut *varia illius afflictiones concur-rant*: Quod *cordis Palpitationem* attinet, quæ *sub hoc af-fectu familiariter coincidit*, tunc illa minime ab *hoc im-pedito* *sanguinis motu deduci* potest, siquidem *Poly-pus cordis* potius ad *sufflaminandum*, quam *augen-dum* *cordis motum* quadrat; eapropter hanc palpitationem pro *refugio & auxiliante* *tentamine naturæ* declara-mus, quo mediante illa partim *præsentis polypi excus-ionem & remotionem*, partim *arduarum difficultatum, li-*

berum sanguinis motum concernentium, subjugationem, sublevationem & emendationem prosequitur: naturalis enim & rationalis est *proprio* & *connexio*, ut, si per hoc concrementum polyposum sanguinis progressus in corde & circa illud adeo *impeditus* est, nunc sub aliquo Systaltici motus *augmento* & *validiori* gradu illud *impedimentum* *corrigatur* & aliqua vi se se natura huic afflictioni opponat: Quid porro mirum esse potest, si sub tam *confuso* statu & gradu motus sanguinis in suo centro & prima officina constitutus est, ut in *proximis* partibus aliqua *stasis* sanguinis & actualis *corruptio* excipiat, aut sub tam *periculosa*, *perversa* & *immedicabili* rerum facie *vires* citius prosternantur, cumprimis, quando non modo subtantis *difficultatibus* cor suo officio fungi debet, sed & quando cum *frustraneo* successu ipsa natura toties huic calamitati resistit & subinde totus morbi status adeo *periculosus* est: si porro omnes reliquæ functiones *pervese* decurrunt, dum in *principalissimo* hoc cordis motu tanta *vigeat confusio* & quoniam cum hoc motu reliquæ operations consentiunt, aut sub illo *principal*i motu *comprehensa* sunt, ita facile a *majori* ad *minus* argumentari licet: inde etiam est, cur sub *successiva* virium abolitione, *motuum* vitalium confusione & humorum depravatione *huc illuc* in corpore *particulares stagnationes*, *stases* & *humorose secessiones* contingent, imo cur denique *repentina obstruacio* in vasis cordis sanguiferis eveniat & *mors subitanæ* cum *simultanea* omnium virium & motuum cessatione consequatur: unde facile liquet, qualis sit nexus in pernitionis hisce effectibus & consecutionibus.

## §. XIV.

Plura quoad Pathologicos respectus hoc ordine addere haud lubet, quoniam ex hisce fundamentis reliqua, quæ in *specialissima* quadam deductione suppleri pos-

possent, explicari & demonstrari debent, quare nunc ad Praetiticam Polypi cordis explicationem progredimur & quæ ad mali mitigationem pertinent indicabimus: Ante omnia vero notandum est, quod *prima* hujus Polypi initia non satis perspicua & ad medicos usus infallibilia sint, quare illo tempore, quo non modo ulterius illius accrementum intercipi, sed *minor* illius moles ac lenior status auferri & dissolvi posset, illius præsentia latet, hinc tunc *deum* ipse manifestus evadit, quando omnis *directa* opitulatio evilescit, qua ipse removeri & percurari posset: exinde facile eluescit, quod Polypus cordis perfectus & confirmatus positiva arte & directo auxilio medico auferri haud queat, siquidem tale concrementum non nisi cultelli ope separari potest, unde facile colligere licet, quantum vel desideratissimis & optimis remedias in hoc casu fidere convenia: Utut vero *absolutum* auxilium nullus in arduo hoc affectu promittere potest, propterea tamen miseris patientes *omni* solamine & afflictionis suæ mitigatione destituere non decet, sed *tam diu* quilibet conscientiosus medicus opem suam adhibeat, quamdiu quicquam levaminis afferte licet: quo magis itaque hic affectus *intricatus*, periculosus & refractorius est, eo *major* circumspectio adhibenda est, ne *talia* ordinentur remedia, quæ funestum eventum accelerant; etenim in hoc casu ci-tius faciliusue nonnulli ausus medici *damnum*, quam commodum afferunt; quare præmittendas esse judicamus couteas Præticas in hoc affectu observandas: abstinentiam itaque erit ab omni prodiga & impetuosa evacuacione, quæ non modo vires, alias *vacillantes*, subito exhaustit, sed & tales perversas commotiones accumulat, quæ præsentem effectum repente deteriorant & ad *perniciosum* exitum disponunt: pestifera sunt in hoc casu positiva vomitoria, quæ subitaneam suffocationem excitant: quemadmodum enim talia vomitoria in hominibus robustis &

D 3

qui-

quibus præcordia sunt integra & illæ magna turbam motus sanguinis circa præcordia & ominosæ causantur angustationes, ita facile iterum judicare licet, quid illa in hoc affectu promittant & efficiant: fugienda porro sunt omnia, quæ humores crudiores augent, maxime etiam quæ sanguinis copiam cumulant: quemadmodum enim communiter plenitudo sanguinis impeditiori progressui, aliquando vero hujus polypi genesi ansem præbet, ita præsente hoc affectu omnis accumulatio humorum nociva est: eapropter etiam cura cum lacte non modo principalem morbi causam non attingit sed & potius per augmentationem sanguinis totum malum exasperat, nisi provide instituantur: subinde etiam omnia experimenta, quæ necessarias evacuationes perturbant aut plane imminuant & i supprimunt admodum pernicioſa sunt, præcipue vero illi conatus medici, qui salutarium Hæmorrhagiæ ordinem ac successum pervertunt, sollicite fugiendi sunt: quæcunque medendi methodus vires nimium offendit, aut præsentes vires admodum consumit & hebetat, illa maxime pernicioſa est, quoniā alias præsens affectus gravem & difficulter reparabilem virium defectum involuit: omnia itaque sic dicta Heroica remedia in hoc casu partim suspecta, partim pernicioſa sunt: omittantur porro remedia calida, motus & humores valde irritantia, concentrata, sulphurea, spirituosa, sanguinis ebullitionem excitantia, volatilia &c. quæ singula præsentem statum valde deteriorant & ærotent admodum enervant: excludantur positiva adstringentia, refrigerantia, incrassantia, coagulantia, acida & dyscrasiam sanguinis vel conservantia vel provocantia: nocent communia opia, quæ subitaneam mortem in hac afflitione causantur, siquidem non modo præsentem motuum vitalium, animalium & naturalium confusionem sustentant & augent, sed & virium jacturam accelerant insuperque naturam jam penitus languentem, adeo enervant, ut simul

simil & semel motus aliquandiū quidem continuandos, omittat; nullus etiam excessus committatur cum Absorben-  
tium remediorum usu, quæ non modo sanguinis crassitatem  
augent, sed & necessarias evacuationes turbant: confuse &  
nimis sanguinis subtractiones &que perniciose sunt, quoniam  
vires valde enervant: communia resolventia & polypi dissolutioni  
dicata spiritoosa, non tantum verum scopum non attingunt,  
sed totum morbi schema magis deteriorant: Et haec principali-  
iores cautelæ practicæ sunt, quæ in hoc easu observari de-  
bent.

## §. XV.

Sed nunc proponendum erit, quænam Indicationes  
Practicæ positivæ in hoc affectu præ singulis aliis conatibus  
therapeuticis certam & securam quandam utilitatem pro-  
mittant: harum indicationum sequentes observandæ &  
applicandæ sunt: 1) ut ordinaria & extraordinaria salutares  
excretiones conserventur, revocentur & promoveantur;  
2) ut sanguinis debita crasis, consistencia & quantitas sub-  
lèvetur & concilietur. 3) ut legitimus sanguinis progressus  
adjuvetur & facilitetur: 4) ut viribus languentibus debite  
subveniatur. 5) ut conveniens Regimen atque Diæta ordi-  
netur. Quod vero nunc quamlibet harum Indicationum  
seorsim attinet, tunc evacuationibus necessariis & utilibus  
prospiciendum est; alvina enim excretio constans & faci-  
lis sit, pro qua sublevanda partim diæterica, partim phar-  
maceutica interdum adminicula prosunt: e numero priorum  
sunt jusecula temperata, viscera elubricantia, alimen-  
ta cum oleo olivarum mixta, gelatinosa temperata, ova  
sorbitilia, comedio butyri, decocta passulata, passulæ ex-  
cinatae, pruna cocta, poma & pyra dulcia cocta: è phar-  
maceuticis conductit usus passularum laxativarum, Manna,  
cum oleo olivarum, syr. rosar. solut, Tamarindi, sal angli-  
canum cum decocto avenæ, decoctum avenæ dilutum  
cum passulis majoribus & Manna, Manna tartarisata; alia  
poten-

potentiora excludantur ; neque quidem *sepe* cum pharmaceuticis alvis provocetur , sed potius diætetica *præferantur* : Proinde sanguinis *superflui* temperata & ordinata *imminutio* promoveatur , methodo admodum moderata & leni : quando *Mensum anomalie* ad præsentem affectum contribuerunt , aut eundem adhuc sustentant , tunc illis emendandis opera danda est : quodsi vero *Hæmorrhoidales* motus anomali & perturbati ad eundem affectum ansam dederint , tunc magna sollicitudine & prudenti peritia illi dirigendi sunt ; quare *judicio* medici relinquimus , an *Menstruum* & *Hæmorrhoidum revocatio* suscipienda & urgenda sit : adminimum in hoc conatu eximia *circumspetio* requiritur : quando vero tales sanguinis *imminutio*nes *spontanea revocari* non possunt , tunc *artificiales viciae* illius *superflui Sanguinis subtractiones* substituantur : huc pertinent præservatoria V . Snes in pede instituendæ temperatæ , ast *reperiæ* , ut pro re nata ter vel quater per annum illas reiterare liceat : præterea in *Hæmorrhoidaria* subjectis *Hirudines* ad loca *hæmorrhoidalia* semel vel bis per annum applicare licet : plus vero prosunt *repetita & moderata* , quam simultanæ & prodigæ sanguinis evacuatiōes : Scarificatio parum utilitatis promittit : neque quidem tantum *haec sanguinis imminutio plenitudinem* ipsius corrigit , sed etiam *spissitudini* illius subvenit , dum corpus adea quadantenus *venilat* , ut *reliqua Massa* facilius in *mobiliorē statum* converti queat : Est itaque *opportuna & methodica* sanguinis excretio *præstantissimum auxilium* , quod huic affectui aliquam opem promittit , *citra* quam *reliqua* *adminicula* *haud spei* satisfacere possunt : Porro sub *equali* sanguinis distributione , etiam *transpiratio insensibilis* in justo successu conservetur : id quod obtinetur per sedulam exclusionem internorum & externorum *refrigerantium* , per moderatum usum *pediluviorum* , per usum *diæticum dococlorum & juscularum* temperate calefactorum :

rum: & si sanguis neque spissitudine neque plenitudine peccat, subinde etiam legitime & æqualiter distribui potest, tunc urinæ excretio perinde legitime constituta fuerit, quæ præterea leniter admonenda est, quando symptomaticæ congesiones perducuntur, in quo statu remedia nitrosa & solubilia resalvia digestiva, aut Liqy. terr. fol. tart. Liqy. nitr. fix. Tinct. antim. tartar. &c. conducunt.

## §. XVI:

Altera Indicatio requirit, ut sanguinis conveniens consistentia, crasis & quantitas concilietur: enim vero quid sanguinis spissitudo conferat ad hunc affectum ex præcedentibus patet; quando præterea vitiosa crasis supervenit tunc eo majorem & periculosiore gradum ipse affectus naniscitur: omnium maxime conductit, ut sanguis sufficienti fluiditate gaudet; hæc si defecerit, restituatur per temperata diætética diluentia & per decocta ex rad. tarax. rub. tinct. brusc. eichor. asparag. gramin. scorzon. chin. herb. veronic. scabios. capill. ven. spinach. chæref. bellid. min. fl. persic. sambuc. helenii, chamom. vulg. sem. foenic. carv. nigell. petrosel. apii, bacc. laur. & junip. præterea conferunt salina deterativa & alcalia, vel vegetabilia vel alia, ex parte modo notata, quæ vel in mixturi, vel tincturis, vel decoctis etiam propinari possunt: admittimus in moderatiore ægrotorum statu modicum usum temperatarum thermarum internum & externum, nec non domesticorum insessuum, ast sine ebullitione suspecta sanguinis disponendum & admittendum: quando vero dyscrasia sanguinis concurrit, tunc illius correctioni prudens artifex per temperatissima alterantia prospiciat, quo nomine commendamus lap. 69. citrat. cum nitr. & antim. diaph. mixtos, ut & prædicta decocta cum sale digestivo sociata: præstat tamen talia decocta non admodum saturare; conjungantur interdum talia decocta cum rad. polypod. cum

E

Tama-

Tamarindis, cum avena exhort. & passul. maj. & min. hue referimus succum 69. fluvialium cum aqua temperata subterranea mixtum; *Essentia* formulas hoc affectula laborantes ægrius perferunt, quia facile molestam sanguinis ebullitionem provocant; ast cum spiritu nitri dulci sociate hoc suo effectu quadantenus corriguntur, unde admitti possunt essentiae vincetox. helen. pimp. alb. succin. cum spir. nitr. dule. aut miscentur Liqv. nitr. fix. spir. nitr. dule. Ess. succin. & tinct. antim. tartar. optime vero huic accidental sanguinis cacosi prospicere licet per apta diætæta, quæ mox erunt commendanda. *Quantitat* autem sanguinis consultatur, ne illa imprimis excedat, cui excessui avertendo & minuendo removit subvenit, diæta non largiter alimentosa, positive vero prædicta sanguinis artificialis depletio: & quamvis hoc morbo decumbentes ob conjunctum appetitus defectum ex diæta plenitudinem sanguinis acquirere haud videantur, tamen ex reliqua oblatione delicatorum & vulgo ægrotantiibus offerri solitorum esculentorum in *parea* etiam quantitate largiter nutrientium, ex medullis, pinguedinibus, gelatinis pinguibus, lacticiniis, paratorum tacite hæc molesta & suspecta sanguinis ubertas procurari potest.

### §. XVII.

Excipit nunc *tertia* indicatio in hujus morbi cura administranda, ut videlicet *legitimus* sanguinis progressus promoveatur: & videtur sane ac si hæc *principalissima* effet operatio in hac afflictione singulis reliquis indicationibus præmittenda; sed subinde etiam notandum est, quod hæc indicatio vix consideratu dignum effectum promittere & præstare posset, ni per *prædictas* alias indicationes hue via præparetur: haud enim *commodius* & facilius sanguis progreditur, nisi *interna* obstacula remota, nimia sanguinis

guinis plenitudo imminuta & suspecta ipsius spissitudo correcta fuerit: promovet vero subinde ipsius liberum circutum, quando polypo cordis laborantes homines illo tempore, quo adhuc orthostadii sunt & reliquæ circumstantiæ haud obstant, moderata commotione vecturæ corpus exercent; quando vero hoc confilium locum haud inventit, tunc conducunt repetita pediluvia, moderati infessus, interna diluentia, temperata bezoardica fixa, mixturae analepticæ & leniter diaphoreticæ, mitigationes congestionum, pectus detinentium, proptereaque institute frictions pedum, applicationes cucurbitularum cœcarum ad suras, & pediluviorum usus: proinde etiam conferunt ex Diæta jusculla fluidiora sanguinem non modo diluentia, sed & aliqualem illius translationem ab internis ad externas partes provocantia: Quoad quartam indicationem etiam sub tota cura virium ratio est habenda, & hoc quidem temperatissima pertinent auxilia: plus sane hac proficit dietetica roboratio, si locum habere potest: admittuntur tamen e pharmaceuticis julapia & mixtura ex aquis diaphoreticis resolventibus & analepticis velut Scorzon. Cichor. C. b. Scabios. Veronic. Scord. Fl. Sambuc. tiliæ, ceras. nigr. cort. citr. naph. cinnam. simpl. additis syrups, conservis & confectionibus quibusdam cordialibus, nec non spiritu nitri dulc. neque in tali afflictione Essentia sic dicta dulcis inutilis deprehenditur: admitti possunt emulsiones dilutiones ex prædictis aquis & succo 69. fluviat. parandæ: è Diæta licet bonum vinum feligere & illo nonnisi medice uti: Gelatinæ leniter aromatisatæ, & pulpamenta amygdalata, modico tamen usu, æque concedi possunt: Quod denique secundum ultimam indicationem Diætam atque Regimen concernit, tunc quoad priorem hisce ægrotantibus, plus fluida quam solida convenient, omnia vero alimenta & potulenta sint temperata, quæ subinde debitas digestiones & excretiones sublevant: victus & potus crudior,

dior, siccior & viscidior variis morbidis turbis ansam præbet: valde aromatilata & spirituosa sunt hisce ægrotantibus *inimica*: nimis sapida, largiter salita, multum acida & similia nocent: spiritus ardens, usus tabaci in fumo, potus inebriativus & valde saturatus, evitentur, quia officunt: omnes cibi, qui flatibus excitandis quadrant seponantur; *temperatus* lactis usus conductit, lergus & indiscretus ob est: Vina recentia & acida fugienda sunt: animus sit deditus tranquillitati & alienus à prædictis affectibus, qui Polypi genesi sagent: nocet venus frequens & immo-  
dica: frigus & ab intra & ab extra vitandum est: dampnum tamen etiam parit calor excedens & superfluuus; quicquid ab extra respirationem impedire potest, sollicite fugiendum est: ubique *temperiei* & *temperantiae* studendum est. De reliquo totam hanc tractationem etiam illustrat A.N. C.dec.3.an.10. *observatio 161.* Et ita nunc nobis etiam abrum-  
pendum est, posteaquam præsentem Practicam observatio-  
nem, quoad principales & essentiales suos respectus explicavimus: DEO itaque pro præstito suo auxilio humillimas persolvimus gratias ejusque gratiæ ac directioni & hunc laborem & reliquos nostros conatus commendamus.



Sie

**S**ic mea vena vacat! sit prona in carmina Musa!  
à me dum gratum cārmen Amice petis:  
Hactenus ingenium nobis geniumque probasti  
qui artibus ingenuis deditus egregie:  
Egregium sane nunc suscipis ipse laborem  
dum Polypum Cordis sedulitate doces.  
Macte Tuis ergo BAUER doctissime donis  
perge ut coepisti, tunc mihi magnus eris.

*Ita paucis de promeritis Honoribus Praefan-*  
*rissimo Domino Candidato gratulatur, ei-*  
*demque divinam benedictionem appreccatur*

### P R A E S E S.

**A**bdita quæ polypi sint semina, quæque medela,  
Doctoris merito dignus honore, doces.  
Gratulor, & patrias fauste redeuntis in oras  
Practica coepita, DEI gratia fida iuvet;  
**Vt**, quam difficile est polypos extingacere, multis  
Tam facile occurras & medeare malis.

**JOANN. JUNCKER,**

M. D. Pract. Orphanot.

**O**praefans animi Iuvenis! datur Hora quieti.  
Iam post Sudores medicæ Curasque Palaestrae  
Doctam servat Honos sedem Tuus: ecce labori  
Praemia digna manent, palmarum movet ordine nemo.  
Ergo agite, & cuncti laetum celebremus honorem!  
Adsumus, & laeti Doctori plaudimus omnes.

*Gratulabundus adiecit*

**IO. EBERHARDVS IVNCKER,**

Med. Doctr.

**C**Ui Charites finxere pium sine crimine pectus,  
Quem non fucatum prodit amica manus,  
Quem sibi Piérides gaudebant esse sodalem,  
Hunc socium lauri Praefes Apollo iubet.  
Scilicet ex meritis Podalyrius ipse poposcit  
Vt decorent doctum laurea ferta caput.  
Gratulor hunc Titulum: Praxinque exopto peramplam  
Sis semper felix, prospera quaeque precor.

*Ita Praenobilissimo Domino Doctorando  
amicō & contubernali perdilectō  
paucis applandebat*

**JOANN HAVIGHORST,**  
Med. & Philos. C.

**F**Elices fidus lætatur Amicus Amicos  
Sic animo læto gaudia reddo **TIBI**.  
**E**cce **TUIS** Studiis obtингent proemia certa  
Ex uno rivo manat onusque & honos.  
Nam virtutis iter, templumque sequutus honoris  
Proemia nunc tanto digna labore capis.  
Quid mirum! dignos, meritos quoque sumis honores  
Et **TIBI** pro meritis Laurea ferta manet.  
Applundo studiis, votisque calentibus opto:  
Obveniant meritis proemia digna **TUIS**!

*Hicse Conterraneo atque Amico suo Sum-  
mos in arte Salutari Honores capeſſenti  
ex animo acclamat*

**SIGISMUNDUS EMANUEL BERGERUS,**  
Svidn. Sil. J. U. C.







**ULB Halle**  
002 815 230

3



VD-18





bub  
27  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

# POLYPO CORDIS,

QVAM

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratissime Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

## DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE CONSILIARIO AULICO,  
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

O S P E C T A T I S S I M O ,  
P R O M O T O R E S U O O M N I H O -  
E Q U E N D O ,

O C T O R I S

HONORIBUS, INSIGNIBUS  
SOLEMNI OBTINENDIS,  
NSVETIS,

M A R T .

V E N T I L A T I O N I S U B J I C I E T ,

## LIEB BAUER,

E S I U S .

